

Fr. I, 48.

de consilio Ottonis III. Imperatoris
cum Maria Arragonica.

II n
1693

F. N. F. C. C.

X 255823

UT

ORATIONES LATINAS

ex Historia medii aevi natas,
d. XX. Decembris, audita nona matutina,
memoriter recitandas

V I R I

EXCELLENTIA MUNERUM, DO-
CTRINÆ GLORIA VIRTUTUMQUE SPLENDORE
INSIGNES,

nimirum

INSPECTORES SCHOLAE
GRAVISSIMI,

&

QUOTQUOT MOENIA CHEMNICII CONTINENT
SCHOLÆ NOSTRÆ FAUTORES

audire benevole

non dedignentur,


ex, qua par est, modestia

rogat

M. Daniel Müllerus,

Recf. Schol. Chemn.

CHEMNICII,
Literis Stöffelianis, MDCCXXV.





Um ante aliquot menses historia medii avi dicendi argu-
menta *nostris* ita suppediabat, ut, facto a Carolo M. ini-
tio, finem exercitio imponeret Arnolphus, simul, nos ex
sequentium Imperatorum vita gestisque perorandi ma-
teriam decerpuros esse, promissum fuit. Quæ pro-
missio ne oblivione sepulta vel certe in longiorem diem collata videatur,
jam iterum septem, qui sequuntur, Imperatores, Ludovicus Infans, Con-
radus I, Henricus Auceps, Otto I, Otto II, Otto III. & Henricus II, totidem
eloquentiæ tyronibus themata (liceat cum Quintiliano Græca hac voce uti)
suggerent. Meum esse puto, e septenario illo numero eligere aliquem,
qui præfandi dare copiam queat: ubi quidem præ reliquis mihi placuisse
Ottonem III, non diffideor. Dum vero in ejus historia occurrunt varia,
quæ a Viris veritatis historiciæ studiosis in dubitationem merito adducuntur,
e, gr. sine ille splendidissimi illius Septemviro(a) Collegii, Cæsaris eli-
gendi potestatem habentis, auctor: sine inter illum & Gregorium V, Pon-
tificem Romanum, pactio facta de Cæsare non nisi a Germanis Principibus
eligendo; sine ab eo Boleslai I, Polonorum Ducis vertici diadema Regium
impositum, nec ne(c); hæc ego omnia, & si qua sunt alia, nanc mittens,
circa solum ejus conjugium versor, de quo non mirabilia, sed prodiis
similia vulgo narrantur. Ego primum rem, ut habere sese putatur, aper-
te & perspicue exponam, deinde, utrum in historiarum an fabularum nu-
merum sit referenda, inquisiturus. Connubia jungit Oro cum Maria
Atragonica, scemina tantæ libidinis ac salacitatis, ut in gynæceo suo alere
non dubitet juvenem imberbem, stola muliebri quidem indutum, sed pu-
dore stolato penitus carentem. Hic improbissimæ voluptatis minister
tamdiu Mariæ, libidinis exstimulata furis, impura explet desideria, do-
nec re omni ad Cæsarem delata, mas, vestibus detractis, agnoscitur, & ut
meritus erat, morte multatur. Conjugi placabilis iræ Cæsar crimen sat
atrox condonat, maculam clementia elui, animumque dementem ad sanita-
tatem castitatemque reduci posse sperans. Sed ut Æthiops, si vel maxime
lavetur, non albefcit: ita spes de futura impudicæ scemina castimonia con-
cepta plane est irrita. Conspicit illa, cum Imperatore versans in Italia, Comi-
tem Mutinensem, in quo admirabilis formæ & pudicitia virtutisque est
concordia. Hunc sæpius sollicitat ad sui amorem; verum in alterum de-
lapsa Josephum furdo narrat fabulam, Comite, quod illa anhelat, & mo-
destissime & constantissime declinante. Amore tandem, ut fit, in rabiem
odiumque converso, accedit mulier Conjugem, Comitem obstatu suæ
pudicitia vim nefarie afferre voluisse quirittans, poenamque delicto dignam
exposcens. Deceptus blanditiis & lacrymis Cæsar, quæ falsissima, oracula
credit, Comitemque comprehensum, indicta causa, capite plectit, qui
ante supplicium rem omnem Conjugi suæ, mulieri prudentissimæ, patefacit.
Non ita multo post ascendit Cæsar in castris, ut moris olim fuit, tri-
bunal, jus diciturus omnibus, qui legibus experiri cum aliis e re sua putant.
Inter alios judicis sententiam efflagitantes advocat scemina (Comitis inter-
empti vidua), ex Cæsare, quam poenam vita privans purum scelus homi-
nem promereatur, percontans. Cæsare capitis talem damnante, caput
illa mariti abscissum producit, Cæsarem ipsum percussorem hunc esse
dicitans, seque ferrum candens, sine ulla membrorum læsione, tangendo
mariti innocentiam declaraturam esse, addens. Poterat Otto, quod Lu-
dovicus Maimburgius censet (d), hanc probationem per ignem rejice-

(a) Hodie novenarium in hoc Collegio florere numerum, nemo ignorat, numerum, quem
Muis sacratum Plutarchus Lib. IX. Sympos. Quæst. 3, & Censorinus de Die natali c. 14,
tradiderunt. (b) Vide de hac Quæstione Carpozovium in Commentario super Legem
Regiam Germanorum, Cap. X. Sect. V. p. 246. & alios. (c) affirmat hanc Quæstionem
Cromerus Lib. III. de Rebus Polonorum, & alii: negant eam multi, & in primis Con-
ringius, de Finibus Imperii, Lib. I. cap. 4^o. (d) Maimburgii verba hæc sunt: A la ve-
rité l'Empereur ne devoit pas admettre cette épreuve, que le Pape Estienne VI. avoit con-
damnée plus de cent ans auparavant, & contre laquelle le sàvant Archevêque de Lyon.
Abogard, avoit fait un traité, de la Decadence de l' Empire, Lib. II. p. 119.

re(e); sed conditionem, dum Comitem iusto supplicio affectum sine dubio iudicat, accipit. Affertur ferrum candens, quod illa intrepide prenat, diuque sine ulla manu offensione tenet. Otto re mira graviter commotus vix se manibus viduæ, pronunciatam antea sententiam exequendam esse urgens, extrahit. Interim ille uxorem Mariam, cuius calumniis ad facinus impium compulsus est, convictam criminis rogo imponit, igneque exurit. Verisne historiis an fabulis, quod breviter hic recensui, sit accensendum, hoc est, quod in disceptatione versatur. Rem vere ita gestam esse, primus tradidit Scriptor aliqui non indiligens, *Gottfridus Vi-terbiensis* (f), quem Viri in historia media non vulgariter versari, *Albertus Crantzius* (g) & *Carolus Sigonius* (h) incautius sunt secuti. Horum auctoritas ingenrem Scriptorum bonorum nubem permovet, ut, re ulterius non perquisita, veritatem hanc prorsus indubitatam satisque liquidam esse, crederent. Si quos horum nominare fas est, nomino *Christophorum Lehmannum* (i), *Johannem Palatium* (k), *Johannem Jacobum Hoffmannum* (l) *Ludovicum Maimburgium* (m), fusclosque etiam Rhetoricos suæ narrationi admiscentem, *Christianum Matthie* (n), *Johannem Cluverum* (o), *Johannem Hübnerum* (p) & *Erdmannum Ushium* (q); quos dum nomino, plures alios idem sentientes consulto prætereo tacitus. Tamen si vero pervagatior est opinio, rem omnino ita, ut supra commemoravi, esse gestam; non tamen prorsus defuerunt Viri in rimandis ejusmodi rebus solertiores, quibus, fraudem & hic subesse, suboluit. Principem (r) locum hic jure suo occupat doctissimus *Schurtzschelius*, qui *crassum*, inquit, & omnino fædum commentum est, quod plerique tradunt, *Mariam Ottonis III. conjugem non suspectam solum, sed & adulterii convictam, jussu mariti, ignis supplicium pertulisse: quæ narratio tamen multis placuit, neque a Christophoro Lehmanno improbatæ est; imbitamen fabule semper, quam historia, propior visa.* Æque acuta fuit acies *Jacobi Caroli Speneri*, qui, quando res Ottonis III. nerveose exprimit (s) oratione, hæc de Maria, conjugè imaginaria, addit: *Lepide nuge sunt, quæ de Mariæ fati circumferuntur.* Sulcipit etiam hujus causæ patrocinium *Lexicon Universale* vernacula nostra scriptum, quod maximam splendoris sui partem *Budæo* longe *Celeberrimo* debet. Dilerte enim illud affirmat (t), *Ottonem III. tori plane fuisse expertem, licet, eum Mariam conjugem, adulterii insimulatam, vivam combussisse, multi crepent: Græce illum Principis conjugium ambuisse, sed frustra.* Præ omnibus aliis fabulam hanc incomparabilis Historiæ Germanicæ Scriptor, *Johannes Pbilippus à Vorburg*, luculentissime confutavit (u), clareque fati docuit, Ottonem III. matrimonium nunquam contraxisse, etsi Helena, Imperatoris Constantinopolitani filia, quæ postea *Vlodomiro*, Russiæ Principi, nupsit, & sacra Christiana in ditonem Russicam intulit, ipsi fuerit desponsa. Verum quoniam sapientes non testimoniis, sed rationibus conquisitis disputandum putant, agedum videamus, quibus tibicinibus illa paucorum de Ottone prorsus cælibe sententia, quæ argute excogitata fabula, de Mariæ Arragonicæ moribus & fati mirabilibus, plane corruit, nitatur. Primum roboris ei non parum addit silentium *Ditmari*, Episcopi quondam Martisburgensis, qui, dum in Historia Martisburgensi Imperatorum sui ævi, *Henrici Aucupis*, *Ottonis M.* *Ottonis II.* *Ottonis III.* & *Henrici Claudi* vitam omnem & gesta magna cura fideque, sicuti *Srrovius* iudicat, (x), describit, & in primis de Ottonis III. rebus explicite admodum dicit, de conjugio ejus ne musitat quidem. Quid vero causæ subest, cur Scriptor

- (e) Videatur *Dn. Caspar. Lœscherus* in Probatione rerum dubiarum per ignem facta, & *M. Eberh. Rudolphus Roth* in *Dissert. Hist. Pol.* de more, quo res per ferrum candens probantur. (f) in *Chronico Univerf.* quod appellavit *Pantheon.* (g) in *Saxon. Lib. IV. c. 26.* (h) *Lib. VII. de Regno Italiæ.* (i) in *Chron. Spir. Lib. V. c. 14. p. 352. seq.* (k) in *Aquili. Saxon. Lib. XIV. c. 2.* (l) *Tom. II. Lex. Univ. p. 76.* (m) de la *Decadence de l'Empire* p. 118. seqq. (n) in *Theatr. Histor.* p. 886. seq. (o) in *Histor. totius mundi Epitome*, p. 455. (p) *P. I. der Histor. Fragten*, p. 209. seq. (q) in *der Römisch-Orientallisch-Teutsches Kaiser Leben und Thaten*, p. 328. (r) in *Disertat. de Innocentia Kunegundis*, §. XXIV. (s) in *Historia Germaniæ Univerfali & Pragmatica Lib. IV. c. 6. p. 321.* (t) *Tom. III. p. 671.* in editione recentiore, quæ hic priorem corrigit. (u) in *Historia Rerum Germanicarum sub Ottone I. Ottone II. & Ottone III. p. 135. seq.*

hic coaevus, cum res longe minoris momenti non praetermittat, rem unam omnium maxime memorabilem penitus reticuerit? Ortone III. & Ditmaro vix quinquaginta annis minor fuit *Hermannus Contraſus*, Scrip- tor mirae isthaec aetate eruditionis; neque tamen in Chronico suo, de sex aetatibus mundi compilato, vel Ortonis conjugium, vel tristia Mariae fata, quae illis temporibus hominum conscientiam nondum fugere poterant, verbo attingit. Eadem fere tempestate *Lambertus Schaffnaburgensis, in signis & verax Historicus*, ut audit *Bellarmino* (y), scripsit Chronicon, quo accuratius quicquam, eo argumento, Germanis a Scrip- toribus compositum se vidisse negat (z) *Melanchthon*; sed tamen conjugii Ortonis, portentosaque illius Mariae mentionem injicit plane nullam. Similiter ignorant & hanc & illud alii Scrip- tores graves, ab aetate Ortonis non ita procul remoti. Post annos demum fere ducentos surgit *Gottfridus Viterbiensis*, & rem incredibilem neminique antea cognitam nobis vult persuadere, & quidem carmine (multa enim, uti haec etiam fabella, ligato sermone in ejus Opere fuit scri- pta) quod, uti *Vorbürgius* (aa) ait, *haudquaquam satis bonum ac Poeticum creditur futurum, nisi poetici styli more fabulosum esset*. Fortasse arbitra- tus est, satis sibi esse excusationis in trito illo Horatii (bb):

Pictoribus atque Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Satisne ergo consultum, vel fidem habere ipsi, vel *Gobelino Personae* (c) vel etiam aliis, qui ex solo *Gottfrido* figmentum hoc hauserunt? Sunt alia multa, quae, ut fallaces atque fucolas hasce merces minime experamus, nos movent. Scilicet annales Hispanorum, & indices etiam rerum ab Arragoniae Regibus gestarum, ut *Vorbürgius* demonstrat, Mariam hanc nesciunt. Praeterea si Maria Ortonis conjux fuit, nullibi reperitur, quando (liceat hic *Vorbürgii* verbis uti) *nuptiae sint factae, quo loco, quo anno sponsa in Germaniam perducta, quo comitatu, quibus paranymphis matrimonium sit conciliatum: haec omnia de Editha Angla* (dd), *de Adelheide Burgundione* (ee), *de Theophania Graeca* (ff) *habere possumus; de una infelice Maria non poterimus? Et cujus flagitiosus exitus scitur, ejus gloriosus introitus ignorabitur?* Insuper temporum ratio, quae in rebus historicis utroque respicienda est oculo, hic non satis concordat. Nempe anno nonagesimo quinto Constantinopolin (quod ex *Martino Crusio* (gg) patet) ad petendam sibi uxorem misit Otto episco- pum quandam, qui anno eodem in Achaja decessit. Sed anno demum inféquenti Maria dicitur combusta. Estne ergo credibile, habuisse uxorem, qui petiit? Sed desino ego, indicaturus, quid de Ortone hoc III. & aliis Imperatoribus proferre *nostri* in animo habeant. Nempe

I. *Carolus Gottlieb Laurentius*, Wölkenf. Misn. *Ludovicum Infantem, ut non Infantem*, considerat.

II. *Carolus Augustus Kressius*, Chemn. *de immutato in melius Conradi I. erga Henricum Aucupem animo agit.*

III. *Job. Samuel Metzlerus*, Hohenlein Misn. *Henricum Aucupem ut fel- licem Hunnorum victorem & domitorem listit.*

IV. *Christianus Gottlob Klimperus*, Chemn. *Ottonem I. ut toga & sago Magnum, intuetur.*

V. *Gottlob Fridericus Machtius*, Döbel. Misn. *Ottonem II. ut Patri Ot- toni I. non secundum, proponit*

VI. *Benjamin Gottlob Meinerus*, Erleb. Misn. quod *Romani Imperii de- cus amplum tertius Otto*, ut dicitur in Epitaphio, fuerit, probat.

VII. *Job. Adamus Rochius*, Döbel. Misn. *Henricum II. et tumulo quasi ad thronum Caesarem protractum* Or. lat. ut reliqui omnes, expendit.

Vos quaeso, *Patroni ac Fautores*, primo loco publice dicturos Vestra hon- orifica praesentia excitare, quo facto ipsi cum tota schola se Vobis magno- pere devinctos praedicabunt.

(x) in Selecta Bibliotheca Histor. c. XVII. p. 454. (y) de Scrip- tor. Eccles. p. 170. (z) in epi- stola ad Calpar. Crucigerum scripta. (aa) loc. cit. (bb) de Arte Poët. v. 9. & 10. (cc) qui in Cosmodromii aetate VI. c. 50. hujus rei mentionem facit. (dd) Fuit haec prior conjux Ortonis I. (ee) posterior haec fuit conjux Ortonis I. (ff) Ortonis II. conjux & mater Ortonis III. fuit. (gg) nempe ex ejus Svevicis P. II. Lib. V. c. 4.

Fr. I, 48.

de convulſio Ottonis III. Imperatoris
cum Maria Arragonica.

II n
1693

J. N. J. C. C.

X 255823

UT

ORATIONES LATINAS

ex Historia medii aevi natas,

d. XX. Decembris, audita nona matutina,

memoriter recitandas

V I R I

EXCELLENTIA MUNERUM, DO-

CTRINÆ GLORIA VIRTUTUMQUE SPLENDORE

INSIGNES,

nimirum

INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMI,

QUOTQUOT MOENIA CHEMNICHI CONTINENT
SCHOLÆ NOSTRÆ FAUTORES

audire benevole

non dedignentur,

ex, qua par est, modestia

rogat

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemn.

